

17.
gog. in Libb. Symbolicas p. 63. Affelmannus Syntagm. Part. I.
Disp. XIII. Quæst. 3. & 4. Osiander P. I. Theolog. Casual. p. 394.
Scherzerus Colleg. Anti-Socin. Disp. XXI. pluresq; alii.

PORISMA II.
Spiritus S. non quoad solam donorum spiritualium gratio-
sam communicationem, sed & quoad ipsam Substantiam ar-
ctiori modo, quàm in generali præsentia omnibus Crea-
turis communi apud credentes præsens est.

Posuimus hoc Porisma occasione §. LX. in quo assereba-
tur à nobis, Spiritum S. à Saul recessisse non quoad do-
na modò gratiosa hætenus ipsi affatim communicata, sed
quoad arctiorem etiam substantiæ suæ præsentiam, quâ si-
militer ipsi antea affuerat. Quæritur itaque: *an alio mo-
do adsit Spiritus S. credentibus, quàm quidem adesse legitur
omnibus omninò Creaturis?* Hoc ipsum quemadmodum af-
firmant Orthodoxi, ita rationibus etiam certissimis adver-
sus dissentientium Objectiones id stabiliunt. Duplex ni-
mirum ante omnia notari debet Spiritus S. præsentia, qua-
rum una *generalis*, altera *specialis* nuncupari meretur. Illa
est, quæ sine discrimine non ad homines solum, eosque pios
juxta atque impios, sed reliquas etiam Creaturas sese exten-
dit, utpote quibus præsens est suâ Substantiâ, in omni-
um actiones effectusque influens, ac totum hoc uni-
versum potenter gubernans & conservans. Neutiquam
enim statui debet à præsentia hæc generali excludi effectus
atque operationes, quin illas vel maximè includi certissi-
mum est, cum actio sit ipse modus, qui præsentiam gene-
ralem etiâ distinguit à speciali. Vide *Balth. Menzerum Tom.
II. Operum p. 1380. seq.* Adde *Feuerbornium Fascic. I. Disp. II.
p. 57. 59.* Accommodari hæc loca Scripturæ illa possunt,
quæ de Dei *Omnipræsentia* generatim spectatâ agunt, puta
Jerem. XXIII, 23. 24. An Deus è propinquo sum ego, dictum.